

S.MI D. N. D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE VIII.

Constitutio Super Noui Pontificalis Editione

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

EX quo in Ecclesia Dei multa, tùm à sacris Concilijs, tum à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ad Dei gloriam augendam, & ad Catholicæ fidei vnitatẽ vbiq; retinẽdam, piè, ac sapienter instituta sunt, nihil magis ijdem Põtifices Prædecessores nostri curãdum sibi esse statuerunt, quàm vt cõmunes Ecclesiastici muneris rationes ad propriam normam seruata antiquitatis auctoritate, reuocarẽt. Hac solicitudine impulsus fe.re. Pius Papa Quintus prædecessor noster, formulam primùm psallẽdi horas canonicas, & celebrãdi Missas, variè priùs constitutã, & à nõnullis prædecessoribus nostris restitui, & instaurari cœptã, ad vnam pariter formã, Romano Breuiario, ac Missali propterea summo studio, ac diligẽtia edito, redigendã curauit. Atq; hoc sanè cõsilio alij Romani Põtifices, qui eundẽ Pium præcesserunt, Põtificales etiã cæremonias, ac ritus, quibus eiusdem Catholicæ Ecclesiæ Præsules in suorũ munerũ functione vterentur, certis similiter forma, & modo præfinitis, in Romanũ Pontificale retulerũt. Cæterùm, quia eædem cæremoniarũ, ac rituũ formulæ ibi expressæ, postea, siue diuturnitatis iniuria, siue Typographorum negligẽtia, siue alia de causa, in ipso Põtificali partim immutatæ, partim corruptæ, veteris instituti, atq; auctoritatis gratiã magna ex parte amiserant, idcirco necessaria res visa est, vt eædem formulæ in sacris Præsulum Ecclesiasticorũ muneribus seruãdæ, recuperato prioris integritatis statu, omnino restituerentur, & ab omnibus, præscripta firma aliqua ratione, obseruarentur. Nos igitur ad summum Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, euecti, prædictorũ Romanorũ Põtificum prædecessorũ nostrorũ vestigijs inhærẽtes, omni cura, & solicitudine adnitendum nobis esse duximus, vt errores, qui quidẽ nec pauci, nec leues in idem Põtificale deprauatis passim locis, irrepserãt, quàm accuratissimè tollerentur. Idem enim Põtificale, corrupti, & mendosi voluminis speciẽ adeo præseferebat, vt (multis dictionibus, hinc inde partim in vnam cõtractis, partim vna in plures distincta, partim ijsdem malè, ac perperã collocatis, & traiectis, partim deniq; ipso orationis sensu mutato) dubiũ esset, quibus tandẽ officijs, vel laudibus ijdẽ Ecclesiæ Præsules diuinũ numen prosequerẽtur, præterquàm quòd in rubricis etiã sparsim turbata ordinis serie dispositis, tanta erat varietas, & obscuritas, vt multis in locis rectè ne se haberẽt, opinione magis, quàm iudicio esset statuendũ. Hanc ergo ad rem, tam cum Ecclesiæ cultu, Officioq; nostro coniunctam, tamq; eorum, qui pro impositi oneris debito, sacris Ecclesiæ muneribus vacare debẽt, concordiæ, & vnitati congruentẽ, examinandam, & absoluẽdam; pijs quibusdã, atq; insignibus viris, diu, multumq; in Pontificalibus cæremonijs, & ritibus versatis, negotium dedimus, dictum Põtificale vndequaq; corrigẽdi, & restituẽdi, necnõ quæcũq; ad exactam illius editionem spectare viderẽtur perquirendi, & præstãdi. Cumq; apud eos paterna hortatione ad hoc opus maturandum quotidie ferè vteremur, re tota tandem ad nos perlata, & in hanc, quæ nunc editur, formã redacta: singulari Dei benignitate, neq; enim aliter accipimus, Pontificale Romanum tandem restitutũ, & absolutum est, atq; ita ex omni parte dispositum (quod ij etiam qui negotio, ac muneri huic præfuêre cõfirmarunt) vt nihil ab antiquis Põtificalium codicibus, qui tum in clarioribus Vrbis Ecclesijs, tum in nostra Vaticana Bibliotheca, ac deniq; in quibusdã alijs insignibus locis asseruãtur, alienum, aut discrepans irrepserit. Ad quam operam in vetustis libris inter se conferẽdis, strenuè, ac fideliter nauatam, id cõmodi quoq; accessit, quòd ij, qui ea in re industriam collocarunt, ex grauissimis scriptoribus eos demũ auctores, qui omnium probatissimi haberentur, secuti fuerint: quodq; ambiguis omnibus, ac dubijs rebus prætermissis, eas dumtaxat, quæ essent in veteris Pontificalis summa comprehensæ, delegerint, ijs tamen exceptis, quæ ad Romanum Pontificẽ attinebant, quòd nimirùm in cæremoniali Sãctæ Rom. Ecclesiæ sunt expressæ. Ex rubricis verò, multis detractis, quæ exactiore methodo in librum cæremoniarũ Episcoporũ sunt relata, plerisq; etiam, vt necessitatis ratio postulabat, adiectis, & præterea non paucis quibusdam in melius cõmutatis, clariusq; expositis, ac deniq; cantu plano in aptiorem modulationis formã (permultis syllabis, pro temporum natura, vbi ratio eas produci, & corripi postulabat, contra quàm priùs in antiquo Põtificali expressum erat, magis appositè extensis, vel cõtractis) à viris eius rei peritis, ad hoc iussu nostro delectis, diligenter redacto, opus iam absolutum probauimus, & Romæ edi, editumq; diuulgari mãdauimus. Vt autem ipsius operis labor finem eum, ob quem est susceptus, sortiatur, vtq; posthac in omnibus, & singulis Ecclesijs vno eodemq; modo cæremoniæ, & ritus Pontificales obseruentur. Motuproprio, & ex certa nostra sciẽtia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula Pontificalia in hunc vsq; diem in quibuscũq; terrarũ orbis partibus impressa, & approbata, & quibusuis priuilegijs Apostolicis munita, & decretis, ac clausulis roborata, per præsentes supprimimus, & abolemus, eorumq; vsum in posterũ vniuersis Ecclesijs, Monasterijs, Cõuentibus, Militijs, Ordinibus, & locis atq; etiã omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, cæterisq; omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus vtriusq; sexus interdicimus, & prohibemus, & hoc nostrũ Pontificale sic restitutum, & reformatũ in omnibus vniuersi terrarũ orbis Ecclesijs, Monasterijs, Ordinibus, & locis, etiã exemptis, si quæ sunt recipi, & obseruari præcipimus Statuentes Põtificale prædictũ nullo vnquam tempore in toto, vel in parte mutãdum, vel ei aliquid addendũ, aut omnino detrahendum esse, ac quoscumque, qui Pontificalia munera exercere, vel aliàs quæ in dicto Pontificali continentur facere, aut exequi debent, ad ea peragẽda, & præstãda, ex huius Põtificalis præscripto, & ratione teneri, neminẽq; ex ijs, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso Põtificali cõtinentur seruatis satisfacere posse. Omnibus igitur, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & cęteris Ecclesiarũ Prælatis, necnõ alijs quibuscũq; personis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus vtriusq; sexus, ad quas id spectat, præcipimus, ac mãdamus, vt omissis, quæ sic suppressimus, & aboleuimus, cæteris omnibus Põtificalibus, hoc nostrũ, in suis Ecclesijs, Monasterijs, Conuentibus, Ordinibus, Militijs, Diœcesibus, & locis prædictis recipiant, illoq; posthac perpetuò vtantur. Cæterùm, vt præsentes Literæ omnibus pleniùs innotescant, mãdamus illas ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorũ de Vrbe, & Cãcellariæ Apostolicæ, & in acie Cãpi Floræ publicari, earũq; exẽplar de more affigi. Volumusq; præterea, & motu, atq; auctoritate similibus decernimus, vt qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus mensibus, qui verò intra mõtes, octo, & qui vltra vbiq; locorũ degunt duodecim integrè excursis, vel alias vbi venalium huius Põtificalis voluminum notitiam, & facultatẽ habuerint sacras cæremonias, & ritus in eodem Pontificali præscriptos, iuxta illius modum, & normam, in quibuscũq; actibus exercere, & obseruare teneãtur. Ipsarum autem Literarum exempla, manu Notarij publici, & Sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate cõstitutæ, aut illius Curiæ obsignata, vel in ipsis voluminibus absq; prædicto, vel alio quopiam adminiculo, Romæ impressa, eam vbiq; locorũ, & gentium fidem faciant, quam præsentes facerẽt, si essent exhibitæ, vel ostẽsæ. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima Februarij. 1596. Pont. Nostri Anno Quinto.

M. Vestrius Barbianus.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo Nonagesimo sexto, Indictione nona, die verò xiiij. Mensis Februarij. Põtificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Clementis, diuina prouidentia Papæ VIII. Anno quinto, retroscriptæ litteræ Apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt in Valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & acici Campi Floræ, vt moris est per me Catherinum Menandi Apostolicum Cursorem.

Iosephus Spada Magister Curs.

ROMAE, Apud Impressores Camerales. 1596.